AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI UNIVERSITATIS
FRIDERICAE GUILELMAE BEROLINENSIS

EXHIBUIT

RICHARDUS SCHOENE



Lipsiae formis Breitkopfii et Haertelii.

Bonucci *Pompéi décrite* p. 119—128.
Zahn *neuentdeckte Wandgemälde in Pompeji* t. 2—6.
id. *die schönsten Ornamente . . . aus Pompeji, Herculanum und Stabiae* I 10. 46. 76. 94.
Engelhard *Beschreibung der in Pompeji ausgegrabenen Gebäude* p. 29—36.
Breton *Pompeja* ed. II p. 141—156.
Overbeck *Pompeji* I² p. 181—204.
Becker *Gallus* III³ p. 74—91.
Guhl & Koner *Leben der Griechen und Römer* ed. II p. 470 fig. 419.

Inter inscriptiones Pompeianas musei Neapolitani duo exempla extant huius tituli (I. N. 2295. CIL. I 1250):

L·CAESIVS·C·F·D·V·I·D
C·OCCIVS·M·F
L·NIRAEMIVS·A·F· II·V
D·D·S·EX·PEQ·PVBL
FAC·CVRAR·PROB·Q

Insculpta sunt duobus lapidibus quos Neapoli vocant Tiburtinis, crassioribus illis quidem quam solent esse tabulae inscriptionum sed neque cymatio simili ve ornamento insignibus neque omnino quatenus conspici possunt — pars enim postica in muro latet —, diversis a titulis quales in operibus publicis affigi solebant. Alterum exemplum auctore Raphaele Amicone (Pomp. antiquit. hist. III 39, 11. Aug. 1823) a quo ceteri

commentarii effossionum (ib. II 79, 16. Aug. 1823) non dissentiunt, repertum est *nelle terre che caddero dalla ripa a sinistra di detta strada e proprio in seguito del magazzino coverto ossia ingresso alle Terme pubbliche dalla parte del Tempio della Fortuna (grotta con volta)*, videlicet a parte occidentali viae quae dicitur fori inter ostium thermarum et quadrivium. In quibus verbis quae continetur et thermarum et templi Fortunae aperta commemoratio, ea ipso mense Augusto 1823 scripta esse non potest, cum inscriptiones templi Fortunae quibus cui numini dedicatum fuerit primum apparuit, non ante mensem Februarium sequentis anni (Amico 20. Febr. 1824 sqq. Acta 25. Febr. 1824 sqq.) innotuerint, thermarum autem cellae balneares non ante mensem Maium (Amico 22. Mai 1824) vel etiam Iulium (Acta 11. Iul. 1824) sive detectae sive agnitae sint. Nec tamen continuo fides abroganda interpolatae explicationi — qualis etiam luculentior reperitur apud eundem Amiconem d. 17. Mai 1818 —, utpote quae cum universa effossionum illius temporis ratione prorsus congruat. Alterum exemplum tituli illius paullo post repertum est, ut in actis refertur (22. Nov. 1823) *a sinistra della medesima strada* (sc. *della strada alle spalle del Foro verso settentrione*) *nel mentre che si disterrava una bottega, nella parte interna del suo bancone sopra una pietra di travertino in esso fabbricata*; ut Amico tradit (20. Nov. 1823) *nel disterrarsi l'abitazione che resta di fianco al nuovo quartiere che resta su la sinistra della strada alle spalle del Foro verso oriente e proprio nella faccia interna del bancone in detta abitazione*. Haec quoque verba ad viam quae dicitur fori pertinere manifestum est, quae Amiconi regionum caeli parum curioso ad orientem spectare visa est cum spectet fere ad septentriones. Idem eius error frequens est; vd. 18. Iul. 1823, 3. Iun. 1824 ubi caeli regiones similiter perturbat, ita tamen ut quemnam locum dicat dubium esse nequeat. Repertus igitur lapis est in una ex tabernis quibus

M · CRASSI · FRVGI
AQVA · MARINA · ET · BALN
AQVA · DVLCI · IANVARIVS · L

Ad hanc inscriptionem Mommsenus haec adscripsit ex Amiconis commentariis manu scriptis excerpta: d. 22. Mai. 1824 *si è interamente aperta la strada che resta di fronte al tempio della Fortuna e va ad unirsi colla casa di Pansa* (i. e. via thermarum) *e si sono palesate bellissime stufe a sinistra. Nell' ingresso coperto di fronte al tempio della Fortuna si rinvenne una pietra di marmo coll' inscrizione* supra adscripta. Multa sunt in hac relatione quae dubitationem moveant. Ac primum quidem alterum eiusdem tituli exemplum extra portam Herculanensem in villa quae dicitur Ciceronis repertum est d. 1. Mart. 1749 (vd. Acta et *Antichità di Ercol.* VII p. 286 n. 31) sive etiam prius (*Gori* Symb. dec. II 3 p. 101) parvae scholae pro supercilio superpositum, quod Winckelmannus a. 1763 in museo Porticensi vidit (opp. ed. Fernow II 65). Hodie autem unum solum exemplum extat; neque in commentarios effossionum satis diligenter illis annis conscriptos relatum est de altero exemplo ab Amicone commemorato; neque Gellius II p. 94 qui illis annis quo thermae effodiebantur, Pompeios frequentabat, aliud novit tituli exemplum praeter id quod superiore saeculo repertum eo tempore in museo regio fuisse testatur Jorius p. 36 (anno 1828).



Quin etiam in eo exemplo Amiconianae relationis quod Fiorellus nuper publici iuris fecit, postrema illa quae sunt *nell' ingresso* cet. cum tituli mentione omnino desiderantur. Accedit quod ne ea quidem quae ibi praecedunt, interpolationis suspicione vacant; quae F. sic edidit: *si sono incominciate a palesare delle bellissime stufe e bagni pubblici che restano a sinistra della descritta strada.* Haec valde dubito num d. 22. Mai scripta esse possint; certe actorum auctores cum d. 21. Iun., 4. Iul. de aedificii natura nondum constitisset, undecimo demum Iulii die primum thermas esse cognoverunt. Omnino autem Amiconis commentarios quamvis multis numeris utilissimos et ceteris commentariis praestantes, cautissime tamen adhibendos atque haud ita paucis locis nescio casune corruptos an diligentia male curiosa interpolatos esse cum supra significavi tum alia satis multa et luculenta exempla docent, veluti quod pictura gladiatoris cum inscriptione sua (CIL. IV 538. Or. 2541) errore manifestissimo et facile explicabili bis reperta esse traditur d. 12. Apr. 1817 et d. 12. Apr. 1818; quod titulus marmoreus d. 14. Apr. 1814, scilicet antequam Amico commentarios suos conscribere coepisset, e regione basilicae repertus (I. N. 2303. Pomp. ant. hist. I 3, 148) apud Amiconem inrepsit inter inscriptiones pictas in via thermarum a. 1817 detectas (Amico 16. Apr. 1817. CIL. IV 539); denique quod fragmenta titulorum osci (Mommsen *Unterit. Dial.* p. 184 n. XXVI. Fabretti 2789) et latini I. N. 2282 inter res in templo Veneris d. 1. Aug. 1818 repertas exhibentur cum in actis d. 19. Dec. 1818 in terreno e regione domus Polybii inventa esse dicantur, quod quin verum sit vix est quod dubitemus. In hoc Amiconis commentariorum statu non sine causa verbis in solo exemplo a Mommseno excerpto adiectis fidem habere dubitabimus: praesertim cum inscriptio ipsa ita comparata sit ut etiamsi certum esset eam in thermis repertam esse, tamen ad has thermas pertinere vix videretur. Thermae enim in in-

mus e titulo I. N. 4000. At valde dubito num titulus Crassi qui omnes notas habet recentioris aetatis, labri inscriptione antiquior sit. Omnino autem ab his thermis excluditur, si duo illa tituli duumviralis exempla recte ad thermarum aedificationem rettuli. Quae sententia nonnihil commendationis habet etiam ab ipsa thermarum structura, eo digniore illa in quam accuratius inquiratur, quia aliquantum differt a plerisque aliis aedificiis Pompeianis.

Nec vero eadem est et aequabilis per totum aedificium; imo balinea virile et muliebre satis diversa ratione aedificata sunt.

Muri balinei virilis tabernarumque cum eo coniunctarum quae ad vias fori et thermarum spectant, opere caementicio facti atque in angulis opere testaceo praecincti sunt, caementicium autem e silice nigro (*Lava*) constat, eoque in coriis externis ad formam quadratam caeso atque ita disposito ut prope absit ab opere reticulato. Prorsus alia est balinei muliebris structura cuius muri quos quidem examinare licet, omnes constant ex opere incerto parum diligenter facto, videlicet e caementis cuiusvis generis et cuiusvis formae nulla subtiliore dispositione conglutinato. Idem observatur in muris quibus area interna a parte meridiana et occidentali clausa est, cum paries orientalis non diversus sit a ceteris tabernarum quae ad viam fori spectant parietibus. Denique similis

aedificandi ratio observatur in pilis cum fornicibus suis et in columnis porticuum quibus area interna cincta est; fornices constant e cuneis tofi luridi vel ut Vitruvius II 7, 1 sqq. dicit rubri — neque enim dubium est quin de hoc lapide ille loquatur cuius hodieque Neapoli frequentissimus usus est —, a quo structores Pompeianos antiquiore tempore prorsus abstinuisse vel inde colligitur quod in eiusmodi opere tofaceo nusquam nec vola nec vestigium extat tituli picti qui sit e genere antiquiorum. Hanc tantam balinei virilis et muliebris diversitatem ab eis qui de his thermis egerunt, neglectam esse miror; nam quod Gauius apud Mazois. p. 73 Jorium (p. 232) secutus et Breton p. 154 sq. balineum muliebre non muliebre sed nihil nisi antiquius et simplicius altero fuisse statuerunt, eius sententiae unum solum argumentum proposuerunt repetitum a cellis in hoc balineo multo minus eleganter quam in virili exornatis. Quod argumentum quam sit lubricum nemine latebit qui eandem differentiam reputarit inter balinea virile et muliebre thermarum quae vocantur Stabianarum intercedere: ubi non recte de diversa utriusque balinei aetate cogitatum esse infra demonstraturus sum.

Nobis contra ac Bretoni statuendum videtur. Nam cum iam maior illa diligentia quae in structura balinei virilis cum tabernis attiguis cernitur, suadeat ut hoc pro antiquiore habeamus, omnis dubitatio removetur accuratius examinato conclavi — sive vestibulum est —, per quod a via thermarum ad praefurnium intras; scilicet illud dico cuius portae in vestigiis apud Mazoisium littera A, apud Overbeekium et Bretonem littera c adscripta est; apud Gellium II p. 80 t. XXIII n. 21, apud Becchium *M. B.* II t. 49 n. 25; in vestigio apud Beckerum *Gallus* III[3] 77 nota caret sed facile recognoscitur ut caldario muliebri (5) et praefurnio (9) attiguum. Hoc conclave initio non pro aditu praefurnii sed tabernam fuisse ceteris quae illic vicinae sunt parem multis argumentis manifestum est. Ac pri-

tes a tergo (i. e. a parte meridiana) clauduntur, manifesto etiam per hoc conclave olim continuabatur; quod cum alii usui destinaretur, deiectus est murus: cuius rei in angulo qui inter orientem et meridiem spectat, structura illo a sua diversa resarto, hodieque certa vestigia extant. Quod autem solum huius conclavis infra libramentum ceterarum tabernarum et ad libramentum cryptae qua ex apodyterio ad praefurnium itur, depressum est, ne hoc quidem ita ab initio institutum fuit. Apparent enim in conclavi muri orientalis fundamenta, unde colligere licet solum post murum factum excavatum esse. Balineo virili una cum muliebri adiectum videri etiam aream porticibus cinctam propter structurae rationes supra significavi: quamquam hac de re nihil adfirmare ausim cum porticus septentrionalis qua pro horreo hodie utuntur, accuratius examen non admittat.

Iam inter reliqua aedificia publica Pompeiana circumspicienti numquid eius modi structurae reperiatur qualem in balineo virili descripsimus, longe plurimorum diversissima structura apparet, perquam vero similis amphitheatri, simillima, imo prorsus eadem theatri tecti; in cuius parietibus idem cernitur opus caementicium reticulato proximum, in angulis pilisque idem testaceum opus. Amphitheatrum autem hoc tantum differt a balineo et theatro tecto quod pro opere testaceo cuius exiguum in eo usum factum videmus, plerumque adhibiti sunt lateres



tofacei. Haec tam arta istorum aedificiorum inter se necessitudo cum per se eo valet ut eodem fere tempore facta esse videantur, tum eo minus casui tribuenda est quod de amphitheatro (I. N. 2249. CIL. I 1246. Or. 3295. He. 6153) et theatro tecto (I. N. 2241. CIL. I 1247. Or. 3294) idem docent tituli utriusque aedificii in quibus eidem duumviri, licet in altero quinquennales, commemorantur. Quae autem intercedit similitudo inter horum aedificiorum et balinei structuram, eadem extat inter titulos modo allatos ac titulos illos duumvirales in balineo repertos a quibus profecti sumus: eisdem utrique litteris antiquioribus in eodem lapide Tiburtino insculpti sunt; qui ut in inscriptionibus oscis fere solemnis est, ita in latinis rarus ac paucissimis exceptis (I. N. 2195. 2250. 2251) ad eas tantum adhibitus est in quibus alia quoque remotioris aetatis vestigia deprehenduntur. Quae si recte hucusque disputavimus, tria aedificia publica Pompeis eodem fere tempore extructa esse putanda sunt, quae cui potissimum aetati adscribenda videantur restat ut paucis exponamus.

Tota quaestio fere vertitur in definienda aetate amphitheatri de qua virorum doctorum sententiae mirum quantum in diversas discedunt partes (Garrucci *Questioni Pompeiane* p. 44 sqq. *Bull. Ital.* p. 41. Henzen *Ann.* 1859 p. 210 sq. Friedlaender *Sittengesch.* II 348). Certa iudicandi nota nos carere hic ipse dissensus docet; quod autem Henzenus titulorum aetatis existimator peritissimus amphitheatri inscriptionem haud ita multum colonia Sullana Pompeios deducta recentiorem iudicavit, id mihi gravissimis rationibus confirmari videtur. Non ignoro, quo argumento Friedlaenderus praeter cetera nititur, formas antiquiores verborum hic illic etiam in titulis aetatis Augustae reperiri. Sed ut mittam, de tituli Pompeiani aetate e ceterorum Pompeianorum titulorum ratione iudicandum esse, in quibus ubi de aetate constat affectatam antiquitatis imitationem nusquam deprehendimus: tam constans anti-

nem si colonia recens deducta erat. Accedit titulus in amphitheatri crypta minio pictus (CIL. IV 75. Or. 1909) qui antiquissimorum titulorum Pompeis latine scriptorum aetatem aequat. Denique consules anni 717 in porticu theatri tecti tectorio inscripti (CIL. IV 2437. He. 7181) demonstrare videntur eo anno theatrum iam consummatum fuisse; cumque amphitheatri consummatio non longe possit a theatri tecti distare, vel hanc ob causam parum probabiliter Friedlaenderus contendit ante Statilii Tauri amphitheatrum Romanum a. 725 consummatum extra Romam lapideum fuisse non videri.

Hoc unum addam C. Quinctium Valgum et M. Porcium amphitheatrum non a solo extruxisse videri. Neque enim video cur assentiamur Garruccio qui in quaestionibus Pompeianis p. 48 spectacula quae illi facienda curasse dicuntur pro universo aedificio dici statuit; nec magis probabiliter A. W. Zumptius spectacula ad munera edenda rettulit, siquidem recte sic interpretor quod Comm. epigr. p. 107 not. coll. p. 143 scripsit, duumviros spectacula curasse. Sed spectacula nihil aliud sunt quam loca unde spectatur cfr. Ulp. Dig. XLIII 21, 1 § 3; Liv. I 35, 8 al.; nec mirum quod duumviri haec sola fecerunt. Sane idem fere factum esse Herculanei constat e titulis I. N. 2419–2421 ubi theatrum cum orchestra coniunctum pro spectaculis dici videtur; cfr. I. N. 5566 ubi praeter tribunal novum a solo factum theatrum et proscaenium (cfr. Liv. XL 51) refici dicuntur; nec

dubito quin eadem ratione interpretandum sit theatrum in titulo Pompeiano I. N. 2229 cum crypta et tribunalibus sive factum sive refectum. Duumviri igitur in amphitheatro spectacula fecerunt locumque in spectaculis colonis dederunt. Titulos vero quibus quidam magistri pagi Augusti et duumviri cuneos in amphitheatro fecisse dicuntur (I. N. 2252) ad refectionem amphitheatri spectare videri alio loco exponam.

Iam cum propter similitudinem quae intercedit inter structuras titulosque balinei et amphitheatri theatrique tecti, balineum non videatur multo post illa extructum esse, probabili ratione colonia Sullana in causa fuisse existimabitur ut antiquiores thermae quae vocantur Stabianae copiae hominum non iam sufficerent novumque balineum extrueretur. Quo cum initio sine dubio aliis horis mulieres, aliis viri usi essent, mox augescente in dies balinearum studio ne hoc quidem contenti fuerunt Pompeiani sed ampliato opere alterum mulierum usui destinatum adiecerunt. Quod quando factum sit nescimus. Liceat tamen coniecturam proponere veri, nisi fallor, haud dissimilem. In muro quo area interior thermarum a parte meridiana clauditur, inscriptum est edictum muneris in dedicatione .... RVM edendi (CIL. IV 1177. He. 6166), ubi iam Becchius (*Mus. Borb.* II. *Rel. degli scavi di Pomp. Febbr.* 1824 — *Dic.* 1826 p. 7) coniecit [*therma*]*rum*. Quod eo probabilius est quod reliquiae eiusdem ut Zangemeistero visum est tituli (CIL. IV 1178) in alio muro earundem thermarum extant ad sinistram portae balinei muliebris in via thermarum sitae. Editurus autem fuisse illud munus videtur Cn. Alleius Nigidius Maius quem Augusti vel Tiberii flaminem fuisse ac pro alteriusutrius salute munus edidisse novimus e simili edicto (CIL. IV 1180. He. 5814). Ea igitur aetate dedicatio illa facta est; quae si re vera ad thermas pertinuit, non ad primam earum aedificationem sed ad aedificium adiecto balineo muliebri ampliatum referenda est.

Minervini *Bull. Nap. N. S.* II p. 115—119. III p. 33—39. IV p. 16—21. 133—134. 160—161. 186 sq. V p. 33—37. 112—117. VI 1—8. 10—12. 113—115. 129—130. vestigium V *tav. d'agg.*
Finati Mus. Borb. XVI tav. A. B. quo libro uti mihi non licuit.

Ut in thermis prope forum sitis ita etiam in Stabianis quae vocantur titulus repertus est non eo loco quo antiquitus insertus fuerat, sed in cubiculo quodam ad imum parietem depositus. Cuius exemplum hic adscribam (CIL. I 1251. Henzen *Bull.* 1857 p. 190 sq. Minervini V p. 113):

C·VVLIVS·C·F·P·ANINIVS·C·F·II·V·I·D
LACONICVM · ET · DESTRICTARIVM
FACIVND·ET·PORTICVS·ET·PALAESTR
REFICIVNDA·LOCARVNT·EX·D·D·EX
EA·PEQVNIA·QVOD·EOS·E·LEGE·
IN·LVDOS·AVT·IN·MONVMENTO
CONSVMERE·OPORTVIT·FACIVN
COERARVNT·EIDEMQVE·PROBARV

Hanc inscriptionem cum Minervinus l. l. rationibus nequaquam idoneis ipsi Pompeiorum ruinae tempori adscripsisset, neminem quod sciam adsentientem nactus est; sed ceterorum virorum rei epigraphicae peritorum consensus ad Sullanam vel



Sullanae proximam aetatem eam rettulit, confirmatus ille etiam antiquissimo programmate viae Holconii in quo C. Uulii nomen legitur item geminata V scriptum (CIL. IV 59). Quod autem Minervinus miratus est lapidem loco non suo inventum esse, id mirum non videtur in eo aedificio quod iteratae renovationis manifesta indicia prae se ferat. Modo hoc ne ita accipiatur quasi thermae obrutae sint dum restaurantur, quae est Overbeckii sententia (I p. 221). Cuius argumenta diligenter quaesita non repperi; nam quod solum et dubitanter propositum esse video a Michaeli p. 32 nec minus dubitanter ab Overbeckio probatum, scilicet foramen in alveo caldarii muliebris — liceat enim brevitatis causa hoc nomen antecapere quo recte me uti infra probabo —, nisi thermae obrutae essent, futurum fuisse ut ex parte clauderetur, id veri mihi videtur dissimillimum. Vas enim aereum illic attiguum tamquam appendix hypocausta alvei est, in quam aqua eius ut magis calefieret intrare debebat, ideoque recte foramine quam fieri potuit maximo cum eo coniungitur.

Titulus autem supra propositus quo tutius remotiori aetati adscribitur, eo magis dolendum est quod non de omnibus membris in eo commemoratis satis constat ad quas aedificii recens detecti partes referenda sint. Quae sit palaestra, quae sint porticus primo obtutu quivis videt; laconicum et destrictarium frustra quaerimus. Nam quod Michaelis p. 44 destrictarium de tepidario intellexit, fieri id sane potest, sed fieri non minus potest ut e membris sit ad palaestram pertinentibus. Ne laconicum quidem constat utrum palaestrae fuerit an balinei, cum a neutro alienum fuisse e Vitruvio V 10, 5. 11, 2 appareat: hoc solum certum est neque in palaestra neque in balineis hodie reperiri. Sic fit ut ex inscriptione duumvirali nihil amplius discamus quam palaestram Sullana aetate iamiam extitisse; cuius rei alterum documentum est horologium, ut mihi visum est marmoreum, ut Minervino (III 36) e lapide Tiburtino

— utar hic quoque venia supra petita —, aditus pateret e palaestra; contra hoc balineum initio solum extitisse, postea augescente lavantium copia adiecto altero maiore et ornatiore ampliatum esse coniecit. Illud Overbeckio (p. 211. 221) persuasit, neutrum Marquardto (p. 303). Recte ut mihi quidem videtur Marquardtus. Neque enim a palaestra intras in apodyterium nec magis in caldarium, sed in hoc a praefurnio, in illud a cubiculo nescio quo quod ad palaestram nihil magis pertinet quam praefurnium sive alia eiusdem generis membra instrumento balneari destinata. In hoc numero fuisse istud membrum parietes ipsi produnt qui trullissati potius quam tectorio laevigati, nulla pictura ornati, imo ne colore quidem inducti dici vix potest quantum distent ab ipsius palaestrae vel thermarum nitida elegantia. Sane quae in imo pariete orientali conspicitur si displacet pictura serpentis ad aram accedentis, ea non a pictore profecta est sed a dealbatore aliquid ultra opificii limites auso. At Overbeckio hoc cubiculum manifesto tamquam vestibulum esse visum est quo balineum et palaestra lavantium in usum inter se coniuncta fuerint. Quibus id manifestum fiat argumenta non video. Quod enim qui duas portas non clausas nactus esset, poterat e palaestra cubiculum illud transgressus in apodyterium pervenire, eo sane non id probatur quod Overbeckius statuit. Quid si porta qua ex hoc



cubiculo in apodyterium intras, — de ea sola enim agitur cum caldarii porta ad praefurnium spectet —, cum primum hoc balineum extrueretur, nulla fuit? Cuius rei indubitata argumenta haec sunt: primum quod in porta postibus qui fuerunt ligneis combustis hodie apparet opus caementicium parietis simpliciter pertusum, non ut fieri debebat et ubique factum est, opere testaceo vel tofo angulari praecinctum. Deinde vero corona tofacea loculorum apodyterii qui a dextra ac sinistra portae sunt, supra portam ita continuatur ut duorum lapidum coagmentum in media porta collocatum sit; quod in supercilio portae — pro eo enim sunt hi lapides —, de industria faciendo ne levissimum quidem structorem commissurum fuisse concedent harum rerum periti. Denique inter loculum qui est a sinistra et loculum qui a dextra portae est, spatium intercedit metr. 1,96. Iam vero loculi lati sunt plus minus 0,52, pilae loculis interpositae plus minus 0,30; illud igitur intervallum metri 1,96 ita respondet spatio trium pilarum cum duobus loculis inclusis ($2 \times 0,52 + 3 \times 0,30 = 1,94$), ut hoc non casui tribuamus sed statuamus quod iam ipsa portae structura docet, in hoc pariete antiquitus non modo portam fuisse nullam sed etiam ubi nunc porta est olim loculos continuatos fuisse.

Quod si recte disputatum est, ne minima quidem ratio superest quominus hoc balineum pro muliebri habeatur; portulam vero istam qua olim caruit, nullam aliam ob rem factam esse existimo quam ut balneatrices ex cubiculo illo vel potius horreo facilius cellas balneares adire possent. Simile est quod ex apodyterio virili alterarum thermarum crypta fert ad praefurnium, simili procul dubio usui destinata. Apparet autem quantum per se veri simile sit duo balinea, ea ratione inter se coniuncta ut aptior ad palaestram includendam excogitari nequeat, eodem tempore eodemque consilio extructa esse. Dequa re ut omnem dubitationem tollam, paullo accuratius de eorum structura exponam.

... atque unus quidem generis quod formae subtilitatem non admittit; propterea in his opere albario inducto expressa videmus ea, quae in coronis sive superciliis ipso tofo exsculpere licuit. His loculis loculi apodyterii virilis omnibus numeris pares sunt, hoc solo discrimine intercedente quod limen inferum non e lapide calcari factum sed tofaceum est quodque eiusdem planum superius sive solum loculorum a cellae solo distat metr. 1, 72, cum in altero apodyterio non distet amplius metr. 1, 50: quod et ipsum probare videtur hoc in muliercularum usum comparatum esse. Parietum structura qualis ab initio fuerit, prae tectorio parum dirupto in neutro apodyterio cognoscitur. Aliquanto plus constat de reliquis cellis. Atque in tepidario virili quidem fere omnia conciderunt, ita tamen ut antiquus status qui fuerit adhuc appareat. Imum solum stratum est tegulis quadratis (metr. 0,59×0,59 vel 0,60×0,60). In his pilae lateribus coctilibus metr. 0,20×0,20 structae sunt calce cum testa tunsa subacta loricatae; altae sunt a parte caldarii 0,74, a parte apodyterii 0,64. Lateres mihi visi sunt calce harenata conglutinati esse; certe argillam cum capillo subactam (Vitr. V 10, 2) non repperi. Pilis tabulae testaceae eiusdem fere magnitudinis ac priores impositae sunt; inde sequuntur loricae complures ex calce et harena, denique opus tessellatum. Haec omnia cum Vitruvii de suspensuris praeceptis (V 10, 2) omnino conveniunt. Parietes primum calce cum testa tunsa sub-

acta inducti sunt; tum *mammatae tegulae ab imo ad summum ad parietem* (Vitr. VII 4, 2) ita fixae sunt, ut paucis centimetris ab eo distent. Sic duplices parietes effecti sunt inter quos vapor e suspensuris in altum vagaretur. Quod vero tegulas eo loco adhibitas mammatas dixi et omnino Vitruvii verbis nequaquam ad balineum pertinentibus usus sum ad describendam huius parietis structuram, id eo magis paucis excusandum videtur quod Vitruviani loci vera interpretatio a Marino proposita nuper male deserta est. Ante omnia mammatas tegulas apud Vitruvium Schneiderus quem recentiores recte sequuntur restituit pro *ammatis* sive *amatis* quae in libris scriptis sunt, collato Plinii loco H. N. XXXV 159. *Inenarrabili terrae benignitate si qui singula aestumet, etiam ut* (ut om. cod. Bamb.) *omittantur in frugum vini pomorum* (pymorum B a m[1], corr. m[2]) *herbarum et fruticum medicamentorum metallorum generibus beneficia* (veneficia B) *eius quaeque adhuc* (adhoc B) *diximus, vel adsiduitate* (vel quae adsiduitatis B Urlichsio teste) *satiant figlinarum opera imbricibus doliis ad vina excogitatis, ad aquas tubulis, ad balineas mammatis, ad tecta coctilibus laterculis fundamentisque aut quae rota fiunt, propter quae Numa rex septumum collegium figulorum instituit.* Verba quae adscripsi Silligius, qui paulo aliter ea distinxit, sana esse existimavit nisi quod imbrices post tecta collocandos esse et initio *satiat* scribendum coniecit, hoc parum probabiliter siquidem figlinarum opera adsiduitate satiare recte dicuntur: in quo non video quod offendat. Ne imbricum quidem transpositionem probaverim; nam verba quae sunt *ad tecta coctilibus laterculis fundamentisque* intellegi quodammodo possunt, si paulo inconcinnius dicta statuimus pro eo quod expectatur *ad tecta fundamentaque coctilibus laterculis (excogitatis)*. Quam interpretationem non admittunt imbricibus insertis. Quod autem Silligius et lateres et fundamenta coctilia dici et ad tecta (i. e. aedificia tecta) excogitata existimat, id vel propterea pro-

formata omnia fictilium operum genera appositum habeant id ad quod excogitati sunt, soli imbrices eiusmodi nota destituti sunt atque una cum doliis commemorantur qui coniungendi potius erant cum laterculis. Item desideratur laterum ad muros excogitatorum mentio. Denique haereo in eis quoque quae ad extremum adduntur *aut quae rota fiunt.* Iahnius (*Ber. der sächs. G. d. W.* 1854 p. 42) ad ea explicanda attulit locum Geop. VI 3 οὐ πάντας δὲ τοὺς πίθους ἐπὶ τὸν τρόχον ἀναβιβάζουσιν οἱ κεραμεῖς ἀλλὰ τοὺς μικρούς· τοὺς μέντοι μείζους χαμαὶ κειμένους ὁσημέραι ἐν θερμῷ οἰκήματι ἐποικοδομοῦσι καὶ μεγάλους ποιοῦσιν. At vero longe plurima dolia eaque haud ita parva rotis facta esse, ea ipsa dolia quae hodieque extant satis demonstrant ita ut Plinius quae rota fiunt, doliis in universum opponere vix potuerit. Hae dubitationes augentur duorum Isidori locorum comparatione, quibus Ianus qui nuper in editione Teubneriana transpositione hunc locum sanandum esse censuit, olim in editionis Silligianae minoris vol. V p. 432 ita usus est ut mihi quidem proxime ad veritatem accessisse videatur. Haec emendandi ratio ab ipso Iano iam omissa ut appareat, quantum habeat probabilitatis, subiciam Isidori locos ut in vetustis libris Wolfenbuttelano et Frisingensi quorum lectiones Reinhardo Kekulé intercedente humanissime mecum communicavit Iosephus Klein, scripti sunt, addita potiore lectionis varietate appositisque eis quae apud Plinium similia leguntur.

Isidorus	Plinius
Orig. XIX 10, 4.	H. N.
Fluvialis (supra *a* addidit *li* F[2]) *silex semper veluti madens est.*	XXXVI 169 . . . *nec certior fluviatilis* (sc. silex) *semper veluti madens.*
Hunc (hic F) *aestate exhiberi* (eximere?) *oportet nec ante biennium inserere in structuris domorum.*	170 (e Vitr. II 7, 5) *Remedium est in lapide dubio aestate eum eximere nec ante biennium inserere tecto domitum tempestatibus.*
Fictilium operum ad parietes et fundamenta coctilibus (coctis W) *laterculis, ad tecta imbriculis tegulisque aptantur.*	XXXV 159 *vel adsiduitate satiant figlinarum opera imbricibus doliis ad vina excogitatis, ad aquas tubulis, ad balineas mammatis, ad tecta coctilibus laterculis fundamentisque.*
XX 4, 3	
Fictilia vasa in Samo insula prius inventa traduntur	cfr. XXXV 152 *sunt qui in Samo primos omnium plasticen invenisse Rhoecum et Theodorum tradant.*
facta ex creta	cfr. 151 *quibus* (sc. liniis) *pater eius* (i. e. Butades) *impressa argilla typum* (tyrum B) *fecit et cum ceteris fictilibus induratum igni proposuit.*
et indurata igni,	
unde et Samia vasa.	cfr. 160 *Samia* (sc. vasa) *etiam nunc in esculentis laudantur.*
Postea inventum et rubricam (rubrica W) *addere et ex rubra creta fingere.*	152 *Butadis inventum est rubricam addere aut ex rubra creta fingere.*
Antiquiorem autem fuisse usum fictilium vasorum quam fundendi aeris aut argenti.	153 *quo adparet antiquiorem hanc fuisse scientiam* (sc. plasticen) *quam fundendi aeris.*
Apud veteres enim nec aurea nec argentea sed fictilia vasa habebantur sicut ad vina doleis excogitatis, ad aquas (aquam W) *amphoris, ydriis* (idriis F) *ad balneas*	159 . . . *imbricibus, doliis ad vina excogitatis, ad aquas tubulis, ad balineas mammatis,*
	ad tecta coctilibus laterculis fundamentisque,
ac reliquis quae in usibus hominum aut rota fiunt	*aut quae rota fiunt.*
aut manu aptantur.	

Isidorus adeo cum Plinio consentit ut dubitari nequeat quin sua tantum non omnia ex eo hauserit. Nec minus manifestum est ni fallor, Isidorum quae apud Plinium invenit ad singula fictilium operum genera pertinentia in duas partes discerpta proponere paucisque vocabulis mutatis satis fideliter excripta, ita ut si duas quas fecit partes coniungimus, enunciatio efficiatur omnibus illis quas apud Plinium repperimus difficultatibus vacua: *fictilium operum ad parietes et fundamenta coctilibus laterculis, ad tecta imbriculis tegulisque, ad vina doleis excogitatis, ad aquas amphoris, ydriis ad balneas ac reliquis quae in usibus hominum aut rota fiunt aut manu aptantur.* Statuemusne Isidorum qui paulo antea duo Plinii capita XXXVI 169. 170 ita transscripsit ut ne recte quidem intellegeret, apud Plinium ea repperisse quae in libris hodie legimus repertaque ita correxisse, ut ad tecta recte imbrices tegulasque, coctiles laterculos ad parietes et fundamenta excogitatos esse diceret neque quae rota fiunt praecedentibus opponeret sed cum eis quae manu aptantur, aptissime coniungeret? Huiusmodi opinatio cum per se minime probabilis est tum refutatur voce in utroque Isidori loco postrema *aptantur*. Quae cum in priore loco ita addita sit ut non intellegatur, eo certius ex fonte quo Isidorus utebatur, huc translata esse putanda est. Quae cum ita sint, Plinium ex Isidoro corrigendum et supplendum esse recte olim Ianus statuisse videtur; neque dubito quin quae apud Isidorum reperiuntur eodem fere ordine quo supra ea composui, apud Plinium scripta fuerint. Nam cum prima vocabula — cuius rei Mommsenus me admonuit —, *fictilium operum* ex eis orta sint quae apud Plinium initio enunciationis leguntur *figlinarum opera*, etiam reliqua quae Isidorus ibi addit, apud Plinium primo loco posita fuisse videntur excepto *aptantur* vocabulo quod quomodo huc pervenerit intellegi sane non nequit si apud Plinium ultimum totius enunciationis locum occupavit. Omnino autem probabile

est Plinium initium cepisse a tritis et vulgaribus fictilium operum generibus et inde ad exquisitiora progressum esse. Iam vero totum locum adscribam qualis fere in libro Pliniano ab Isidoro adhibito fuisse videtur: *vel adsiduitate satiant figlinarum opera (ad tecta) imbricibus [tegulisque], (coctilibus laterculis [parietibus] fundamentisque), doliis ad vina excogitatis, ad aquas tubulis, ad balineas mammatis [ac reliquis quae in usibus* (usus?) *hominum] aut rota fiunt [aut manu aptantur], propter quae Numa rex septimum conlegium figulorum instituit.* Singula praestare nequeo; nec me latet originem corruptelae difficilem esse ad perspiciendum; nam quod duae lacunae extitisse in easque disiecta membra eorum quae exciderant inrepsisse videntur, eo corruptela describitur potius quam explicatur. Nec vero in librorum scriptura neque in transpositione a Iano excogitata neque in Urlichsii coniectura acquiescere possumus qui in Vindiciis Plinianis 780 ex Isidoro nil nisi verba quae sunt *quae manu aptantur* Plinio inserenda statuit, ceteroquin Iano adstipulatur totumque locum sic constituere videtur: *vel quae manu aptantur aut quae rota fiunt adsiduitate satiant figlinarum opera imbricibus ad tecta, coctilibus laterculis fundamentisque, doliis ad vina excogitatis, ad aquas tubulis, ad balineas mammatis propter quae* cet. Cur neque Iani neque Urlichsii coniecturam probandam existimem, ex eis quae supra de Sillígii coniectura dixi satis apparebit neque ne longus sim fusius exponam.

Haec de Plinii loco. Vitruvius autem VII 1, 2 praecipit quomodo paries tenuis e tegulis, si libris credimus, hamatis parieti umido adstruendus sit ubi locus non patiatur structuram fieri. Iam quivis videt eiusmodi tenues parietes in thermis antiquis plurimos reperiri, ad quos cum tegulas *hamatas* adhibitas nusquam videamus, frequentissimus in eis usus fit tegularum quae aptissime dicuntur *mammatae*. Sunt hae (bene descriptae a Becchio Mus. Borb. tab. 49 sqq. p. 27) tabulae

testaceae quadratae quae ab una parte habent tubercula per angulos disposita mammis similia. Quae cum ad parietem figuntur — ut in tepidario a quo exorsi sumus, factum est —, his mammulis ita simul a pariete distinentur ut spatium relinquatur ubi sive umor defluere sive vapor libere vagari possit. Nec dubium quin has tegulas et Plinius dixerit et Vitruvius. Hoc posteaquam recte perspexit Marinus (Vitr. ed. Marini IV tab. 111, 3), nihilo minus qui nuper Vitruvium vernacula lingua reddidit Reberus, spreta Marini interpretatione, quantum ex ipsius verbis et e figura adscripta intellegere licet, eam formam tegularum mammatarum commentus est, quae quomodo ab imbricibus differat non video.

Sed redeamus ad tepidarium. Ubicunque tegulae mammatae deiectae sunt, apparet paries calce cum testa tunsa subacta inductus. Ubicunque haec quoque decidit, structura tofi quadrati conspicitur satis longe a solita recedens, quae habet quandam cum opere craticio similitudinem. Quam structuram si accuratius examinaveris, duos ordines reperies loculorum circa cellam dispositorum. Inferior minores loculos habet altos m. 0,35, latos 0,42, lapidibus latis 0,35 alterum ab altero separatos. His alter ordo ita superpositus est ut inferiorum loculorum supercilia pro liminibus superiorum sint. Ut in apodyteriis ita hic quoque in cubilibus atque coagmentis lapidum nullum calcis vestigium deprehenditur. Loculorum parietes subtili operis tectorii corio inducti sunt in quo hic illic nonnihil rubri coloris remansit. Haec omnia quae modo adumbravi cave existimes ita plana et explorata esse ut primo obtutu facile cognoscantur. Nam operae cum tegulas mammatas ad parietem fixuri essent, loculos structura repleverunt, frontes lapidum ne nimis prominerent ascia dolaverunt, denique omnia calce cum testa tunsa subacta tam aequabiliter obduxerunt, ut nusquam vera parietis structura appareat nisi ubi hoc tectorium diruptum est. Sed qui diligenter rem examinabit,

cum spondeo in ea potissimum parietum septentrionalis et meridiani parte quae ad orientem spectat, certa et indubitata indicia eorum quae exposui reperturum esse.

Tepidario simillimum caldarium est; quippe eaedem in utroque suspensurae, nisi quod solum non tabulis quadratis sed tegulis quales in tectis adhiberi solent (0,48×0,65) stratum est (cfr. *tegulae sine marginibus* Vitr. V 10, 3) et quod pilae suspensurarum non sunt tectorio munitae. Neque parietibus tegulae mammatae affixae sed tubuli fictiles impressi sunt. Ipsorum autem parietum eadem structura est quae in tepidario. Quamquam in caldario de inferiore tantum loculorum ordine pro certo affirmare ausim: superiorum nihil exstat nisi duo lapides tofacei in muro septentrionali prope labrum suo loco relicti qui ex eis fuisse videntur qui inter loculos interiecti erant. Cetera omnia perierunt. Nec memini me illic videre quod memoratu dignum esset praeter fundamentum labro infra solum suspensum subiectum quod structurae insertum habet tofaceum coronae alicuius fragmentum ceteris in thermis coronis loculorum pilarum portarum simillimum. Hunc lapidem non longe aliunde advectum sed ex ipsis thermis sumptum esse eo probabilius est, quod dubitari nequit quin ut apodyterii, ita etiam caldarii et tepidarii cameris coronae tofaceae subiectae fuerint. Quod si recte statuimus, simul patet caldarium non ab initio suspensum fuisse siquidem pilas quibus solum fulcitur, una cum fundamento labri structas esse ex ordine quo circa illud dispositae sunt, satis apparet. Tepidarii muliebris parietes etsi ita conservati sunt ut intus inspicere veramque structuram indagare raro liceat, nihilo minus cognoscimus lapides tofaceos camerae pro corona subiectos; qui aliis lapidibus tofaceis rectis ita fulciuntur ut loculi existant supra descriptis simillimi. Ac ne loculos agnoscere dubitemus, in uno lapide parietis septentrionalis a parte interiore opus tectorium etiamnum extat. Ceterum ut in virilibus cellis ita hic quoque loculi structura repleti

sunt, deinde paries testa trullissatus et directus est, denique tegulis mammatis loricatus. De caldario muliebri certum iudicium fieri nequit opere tectorio adeo illaeso ut parietum structura usque quaque lateat, nisi quod hic illic tegulae mammatae apparent. Quo loco ne quem decipiant tubuli in accurata descriptione huius cellae a Michaeli p. 31 commemorati, sciat non tubulos ab eo dici parietibus vel caelo cellae impressos, sed vasa structurae concamerationis ut levior esset inserta; quod propterea commemoro quia in Romanis aedificiis Rudolfo Bergau auctore (*Ann. dell' inst. arch.* XXXIX 1867 p. 405) vasorum ita in structura camerarum adhibitorum exempla non reperiuntur ante tertium p. Ch. saeculum. Utramque cellam suspensam esse parietes duplices satis demonstrant.

In utriusque balinei structuram dum inquirimus, aliquanto plus repperimus quam quaesiveramus. Neque enim hoc solum apparuit utrarumque cellarum structuras adeo non diversas esse, ut nisi gravissima argumenta obstent, eodem tempore atque uno tenore factae statuendae sint, sed etiam illud intelleximus, longe aliam earum initio formam fuisse quam quae ultimis Pompeiorum temporibus esset. Caruerunt scilicet duplicibus parietibus camerisque atque parietes habuerunt plurimis loculis instructos; quorum qui fuerit usus in tanta cellarum ruina frustra quaerimus.

Ex reliquis thermarum membris alia prorsus eandem atque cellae balneares, alia prorsus diversam structuram praebent. Atque ex his quidem series cellularum cum soliis est palaestrae a parte septentrionali adhaerens (Ov. e, Ma. 28, Mi. o) quarum structura mirum quantum non solum a balineis, sed ab universis aedificiis circa palaestram dispositis differt. Postes enim portarum videmus e lapide calcari quadrato factos, muros ex eiusdem lapidis caemento rarissimis aliis caementis admixtis: contra reliquorum membrorum postes tofacei vel testacei

sunt, muri aut ex tofo quadrato aut ex caementis sive silicis nigri sive cuiusvis generis mixtis constant. Quicumque bene perspectum habet qua quoque tempore Pompeiani materia in struendo usi sint, iam hac in re gravissimum agnoscet altioris antiquitatis indicium, quam illud quoque prodit quod cellulae angustae sunt et tam modicam lucem admittunt ut balineum Scipionis quod Seneca Epp. LXXXVI 8 describit obscurius fuisse non possit. Praeterea, quamvis nulla camerarum ruina laesae — camerae enim hodieque extant —, eo statu repertae sunt ut tum cum Pompei subversi sunt, in usu non fuisse videantur: ipsa solia pessime habita sunt, tubuli quibus aqua in solia influxerit non reperiuntur, ubi effluxerit aqua non apparet. Etiam illud tamquam in transcursu commemoro, membrum per quod e crypta in latrinam intras (Ov. f, Ma. 25, Mi. n) nihil aliud esse quam cellulam duobus muris deiectis in aditum latrinae transformatum: aeque enim latum est atque tres cellae attiguae (metr. 2,00—2,05) et ubi in latrinam intras, a dextra ac sinistra anguli non ita ut fieri debebat, lapide angulari extructi sunt sed manifestis indiciis produnt, murum cellarum septentrionalem, etiam intra hoc conclave olim continuatum, cum latrina adiceretur deiectum esse.

Tabernarum cum balineis muliebri ac virili coniunctarum plerumque eadem structura est quam sub recentioris temporis tegimine latentem in cellis ipsis investigavimus. Decem primae pilae in via Holconii inde a quadrivio occidentem versus sitae postesque et supercilia quinque portarum (Ov. 5* a* 1*, Ma. 49. 21. 44, Mi. portae cryptarum 1 k S; reliquae duae portae quippe posteriore tempore clausae in vestigiis omissae sunt nisi quod unam indicavit Ma., membri apud Mi. n. 24, apud Ov. III, apud ipsum minimi ex eis quibus numerus 6 inscriptus est) e tofo quadrato nulla calce interiecta facti sunt. Pilas certe initio non politas fuisse opere tectorio, permagna antiquissimorum programmatum copia intellegi-

mus quae in ipso tofo alia aliis ita superscripta sunt ut pleraque ne legi quidem possint. Portarum autem postes et coronae denticulatae satis eleganter sculptae statim ab initio tectorio obductae fuisse videntur, cum titulus minime recens supra portam viae Stabianae in tectorio pictus hodieque extet CIL. IV 67. Hae pilae portaeque cellis eo quoque nomine similes sunt, quod non minus quam illae graves subierunt mutationes. Duas ex portis maceriis clausas esse supra significavi, neque fieri potuit, quin eodem tempore alii aditus aperirentur, ei scilicet qui apud Ov. A*, L*, X*, apud Ma. 7 et 29, apud Mi. a, f, n. 85 signati sunt; apud Ma. tertius, qui e membro 42 ad viam Stabianam fert, nota caret. De primo dubitari nequit; nam vestibulum ad quod per hanc portam intras, initio nihil aliud fuit quam taberna, cuius lumen cum aeque ac reliquarum tabernarum latum fuisset metr. 3,70, pilis testaceis ab utraque parte ad tofaceas adstructis ad eam quam hodie cernimus latitudinem redactum est. Neque quisquam dubitabit quin tertius tum patefactus sit cum porta quae fuit in membro apud Ov. X' signato clausa est. Denique etiam alterum qui in vico lupanaris est, novicium esse etsi non aeque manifestum est, tamen satis ex eo apparet quod non ut antiqui aditus e tofo quadrato sed ex opere latericio constat. Non minus novicia structura est tabernarum in vico lupanaris inde ab hoc aditu omnium cum quinque primis quae in via Holconii inde ab angulo vici sunt. Harum pilae omnes ex opere e lateribus coctilibus et tofaceis mixto constant habentque programmata pauca eaque recentia inscripta. Quod si quis his indiciis ductus omnem hanc aedificii partem qua palaestra a parte occidentali clauditur, ita ut nunc est, reliquis aedificii partibus multo recentiorem esse coniecerit, non adversor; imo et structuram et ornamentorum rationem eam esse video quae novissimis Pompeiorum temporibus optime conveniat, ita ut cum totum aedificium post terrae motum a. 63 reficeretur

— de qua re infra dicturus sum —, haec membra a solo exstructa esse videantur. Sed mitto rem quae ampliorem disputationem requirit neque ad id ipsum quod propositum habemus pertinet.

Cum alii aditus obstruerentur, alii novi aperirentur, fieri non potuit quin in reliquis quoque aedificii membris multa mutanda viderentur. Sic cubiculum Ov. II, Mi. Y, Ma. 6 (i. e. cubiculum ad viam Holconii spectans inde a quadrivio occidentem versus quintum) lumine quod a parte viae publicae fuit obstructo in hodiernam faciem e taberna transformatum est; sic portulam per quam e porticu intras in apodyterii virilis partem priorem Ov. IV, Mi. W, Ma. 31 non minus atque de qua supra dixi apodyterii muliebris portam noviciam esse eodem certo indicio constat quo bis supra usus sum: caret enim et ipsa postibus structilibus deiectisque postibus ligneis apparet iam murus caementicius non statim ab initio porta instructus sed postea perforatus. Denique ne columnarum quidem porticuum dispositio eadem hodie est quae initio fuit; nempe deprehendimus etiamnum in stylobata tofaceo vestigia columnarum quales olim fuerunt, e quibus colligitur diametron earum fuisse plus minus metr. 0,42 quae hodie antiquis scapis tofaceis crasso tectorii corio circumdatis fere m. 0,55 est; itemque centra earum alterum ab altero distabant metr. 1,70 cum hodie distent plus minus 1,92. Videtur autem columnarum dispositio tum mutata esse cum aditus ille principalis viae Holconii patefactus est: cui cum latius ceteris intercolumnium opponendum videretur, etiam ceterae columnae locum mutare debebant. Miraturi fortasse nonnulli sunt quod graciliores columnarum modulos antiquiores esse dixi; mirari desinent cum viderint Pompeis columnas, cum antiquitus a *virilibus proportionibus* (Vitr. IV praef. 6 sq.) ad graciliores excultae essent, rursus aetate imperatoria pervulgato operis tectorii usu ad modulos prioribus illis similes sed multo minus venustos delabi. Cuius rei luculentissimum

exemplum praebent porticus aedis Isidis post terrae motum anni p. Chr. 63 restauratae: ubi in stylobata vestigia columnarum extant etiam ab Actorum auctoribus 20 Iul. 1765 et a comite de Clarac observata, quarum circuitus fuit metr. 1,08, cum columnarum quas hodie videmus circuitus sit metr. 1,75; cumque in porticibus meridiana et septentrionali hodie octonae columnae sint, antiquitus denae fuerunt. Quod in templo Isidis tantum non certum est, idem in thermis veri est simillimum, mutatas scilicet columnarum proportiones et dispositiones refectioni deberi post terrae motum a. 63 factae, quo fieri non potuit quin aedificium tantae magnitudinis et tam multis pensilibus membris instructum gravi ruina afficeretur. Universa autem plerorumque membrorum facies tam aequabilis est et tam templi Isiaci similis ut ab eadem instauratione eodem fere tempore facta iure eam repetamus. Eidem recte cellarum balnearium formam qualis ultimis Pompeiorum temporibus fuit tribuemus; quae adeo novicia est ut Michaelis et Overbeckius refectionem ne absolutam quidem fuisse existimaverint. Atque eodem tempore alveum tepidarii factum esse opinor, ad cuius incrustationem titulum procul dubio marmoreum Augusti imperatoris XIII. adhibitum fuisse demonstrant ectypa litterarum quae in calce harenata etiamnum extant (Minervini III p. 34. Michaelis p. 40. Breton p. 158). Qui alveus non una cum suspensuris tepidarii extructus est sed adiectus suspensuris consummatis; etenim pilae quibus solum fulcitur, cum iamiam tectorio inductae essent, tum demum aliis pilis adstructis murisque inter pilas insertis ad onus alvei sustinendum confirmatae sunt. Praeterea in pariete septentrionali cui alveus adhaeret, opus tectorium tegulis mammatis subiectum ita resartum est ut in alvei et fornaculae qua alveus calefiebat extructione laesum fuisse appareat.

Sed haec leviora; maioris momenti quaestio est num etiam duplices parietes quibus cellas balneares ab initio caruisse de-

monstravimus, post terrae motum anni p. Chr. 63 facti esse videantur. Cum qua altera illa artissime cohaeret num cellae statim ab initio suspensae fuerint an fortasse tum demum suspensae sint, cum tubuli tegulaeque mammatae parietibus affixa sunt. Atque ut de altera quaestione quid sentiam prius exponam, de muliebribus cellis iudicari omnino nequit quippe quarum suspensurae adhuc sub solo non dirupto lateant. Caldarium vero virile cur non ab initio suspensum fuisse videatur supra exposui; quo tempore suspensum sit nisi coniectura effici non potest. Suspensuras enim ineunte primo ante Christum saeculo primus excogitasse dicitur C. Sergius Orata Plin. H. N. IX 168. Val. Max. IX 1,1. Macrob. Sat. III 15, 3 coll. Cic. apud Non. p. 194, 13; quocum bene convenit quod balineas pensiles Plinio H. N. XXVI 12 auctore primus inter medicos adhibuit Asclepiades quem Pompeii aetate Romam venisse (Plin. l. l. 12) et L. Crasso amicum fuisse (Cic. de orat. I 14, 62. 39, 178) scimus; nec dubium quin paulo liberius locutus sit Seneca qui ep. XC 25 *quaedam* inquit *nostra demum prodisse memoria scias ... ut suspensuras balneorum et impressos parietibus tubos per quos circumfunderetur calor qui ima simul ac summa foveret aequaliter.* Manifesto enim errat cum suspensuras sua memoria prodisse dicit; rectius, ut hoc statim addam, de tubis parietibus impressis statuere videtur quorum usum non item ut suspensurarum a Sergio Orata inventum esse scriptorum supra allatorum silentium docet; quin etiam Vitruvius num tubulorum vel tegularum mammatarum in balineis usum noverit suo iure dubitat Marquardtus *R. A.* V 1 p. 291. Certe duo loci Vitruviani V 10, 3. VIII 3, 4 qui potuerint videri duplicium camerarum et parietum significationem habere, ita comparati sunt, ut nihil inde certi effici possit. Nec novi scriptorem qui ante Senecam tubulorum parietibus impressorum, tegularum mammatarum in balineis adhibitarum ante Plinium mentionem faciat.

Iam vero summa cum probabilitate statuemus thermas Pompeiorum maximas et elegantissime exornatas suspensuris eo tempore non caruisse quo Vitruvius V 10, 2 de eis ut de re in balineis prorsus necessaria ac pervulgata praecepit. Id tamen ad solam cellam caldariam valet. Nam ut lubricum et fallax argumentum sit Vitruvii silentium, tamen si quid video de solis *suspensuris caldariorum* V 10, 2 loqui non potuit nisi tepidaria suspendere illa aetate nondum in usu erat. Neque alterarum thermarum quod sciam tepidarium suspensum est, nec desunt in Stabianis indicia quibus caldarium virile prius quam ceterae cellae, scilicet eo tempore suspensum esse videatur, quo nondum usu compertum esset qua ratione suspensurae quam optime fierent. Certe mirum est quod solum non ut in tepidario tabulis testaceis quadratis sed tegulis *ad tecta excogitatis* stratum est quodque pilae opere tectorio quo in tepidario obductae sunt, in caldario quod multo fervidiore vapore perfundebatur, carent.

Quando vero parietes cellarum loculis obstructis ad hodiernam formam redacti sint, ne coniectura quidem assequor; nisi quod in tepidario ante alvei constructionem id factum esse ex operis tectorii prope alveum refectione supra commemorata colligere licet. Praeterea hoc unum non neglegendum videtur, cum in ceteris cellis tegulae mammatae adhibitae sint, caldarii virilis parietes antiquiore ut videtur more tubulatos esse.

A rebus certis atque indubitatis ad eas quoque de quibus nihil certi vel certo proximi indagare contigit, consulto progressus sum, sperans fore ut alii acutiores monumentis diligenter examinatis, quae mihi incerta visa sunt, aut refellant aut comprobent. Interim satis habeo varias thermarum Pompeianarum vicissitudines adumbrasse, ac demonstrasse quanto opere quae aliunde de balinearum aliis temporibus alia forma comperta habeamus his Pompeianis thermarum reliquiis vel confirmentur

vel illustrentur. Nam cum antiquissima totius aedificii pars ea esse videatur quae cellulas simplicium soliorum *obscuras et gregali tectorio inductas* continet, mox balinea muliebre et virile cum tabernis adiacentibus e tofo quadrato nitidissime et firmissime extructa sunt: quae postea suspensuris duplicibusque parietibus instructa, ad extremum post terrae motum anni 63 ea facie induta sunt quae tunc temporis unice probaretur. Videmus accidisse id quod Seneca dicit in epistola qua balinearum historiam enarrat (LXXXVI 8): *quae concursum et admirationem habuerant cum dedicarentur, in antiquorum numerum reiciuntur cum aliquid novi luxuria commenta est, quo ipsa se obrueret*; nisi quod Pompeiani thermas suas publicas ne in antiquorum numerum abirent, compluries renovandas curaverunt. Idem etiam in thermis minoribus prope forum sitis factum esse cum supra vidimus tum ex eo apparet quod ibi quoque vestigia reperiuntur loculorum iam sub opere tectorio latentium. Etenim in apodyterii virilis parietibus orientali et occidentali, optimo ceteroquin tectorio inductis nonnulla foramina (m. 0,05 × 0,05) reperiuntur paribus intervallis distantia ubi antiquitus asseres ligneos insertos fuisse vestibus imponendis destinatos recte dudum intellectum est. Iam in altero ab angulo meridiano foramine parietis occidentalis et in sexto orientalis intus inspicienti apparent particulae parvi fornicis tectorio obducti a solo cellae eodem utraeque intervallo distantes, quas ad parvos loculos iam obstructos pertinere alterarum thermarum similitudine docemur.

Finem scriptionis facere non possum quin fragmentum tituli Pitini (*Macerata Feltria*) repertum adscribam, ad res quas his plagulis exposui illustrandas satis aptum. Communicavit hoc fragmentum Bartholomaeus Borghesius cum Amatio per litteras d. 22 Iul. 1817 datas, quae propediem prodibunt in sexto volumine editionis Parisinae (p. 83). Exemplum inde descriptum quod Romae in Henzeni schedis extat, hoc est:

. . . .
. . . *b* ALINEVM·FECIT
. . . . Q·PAVIMENTVM·TEPIDARI·S·P·REFECIT
patro NVS·MVNICIPI·SIGNVM·FORTVNAE
. . . IDEM·BALINEVM·SVSPENDIT·TVBV
. . . VS·PISCINAMQVE·V·FECIT
. . . M·VETVSTATE·CORRVP
. . . SVA·PECVNIA·REFECIT

2 littera prima honoris municipalis nota esse potuerit, veluti [*IIvir*] *q*(*uinquennalis*) vel *q*(*uaestor*).

4 quid in fine supplendum sit non liquet; suspicari vero licet balinei solum suspensum parietesque tubulatos esse dici coll. Plin. ep. II 17, 19 *transitu interiacente qui suspensus et tubulatus conceptum vaporem ... huc illuc digerit.*

5 [*lac*]*us*, [*arc*]*us*, [*portic*]*us*? E quibus postremum ceteris probabilius videtur. Littera singularis V quid significet non assequor; num *v*[*ivus*]? Quamquam in sequentibus versibus neque testamenti mentio fit neque omnino significatur quidquam post mortem eius ad quem titulus pertinet, factum esse.

Titulus manifesto est balinei facti refecti exornati. Etiam signum Fortunae ad balineum exornandum positum esse recte supponemus. Urbis thermas statuis ornatas quivis novit. Similiter in describendo Hippiae balineo Luc. Hipp. 5 commemorat statuas Hygiae et Aesculapii in tepidario positas et in titulo apud Renierum *Inscr. de l'Algérie* 1533 Aesculapius ad exornationem balinei ut videtur privati dono datur. Utrum unius viri merita recenseantur qui balineum fecerit, factum refecerit, refectum exornaverit, an ea enumerentur quae a compluribus diversis temporibus facta sint non liquet; illud veri fortasse similius. Sed hoc utut est, cum vs. 1 balineum factum, vs. 2 tepidarii pavimentum refectum esse dicatur, quae sequuntur *ba lineum suspendit tubu* ... vix videntur aliter accipi

posse quam ita, balineum illud initio suspensuris tubulatisque parietibus caruisse, postea vero pervulgato hoc usu suspensum et tubulis instructum esse.

Huiusmodi scripto testimonio quoniam in thermis Pompeianis destituti sumus, quid ex ipsis parietibus cognoscere liceret periclitari debuimus. De nonnullis vero rebus quae lucem accipere nisi ab universorum aedificiorum quae Pompeis extant disquisitione nequeunt quasque hoc loco fusius exponere non licuit, alio loco explicatius dicturus sum.